

SCRIPTA

Numéro Scripta : 2324

Auteur(s) : Hugues d'Amiens, Rouen (archevêque)

Bénéficiaire(s) : Richard, Troarn, Saint-Martin (abbé)

Genre d'acte : charte

Authenticité : non suspect

Datation : 1150, 16 mars

Lieu d'émission : Lisieux

Action juridique : règlement conflit

Langue du texte : latin

Analyse

Charte de Hugue, archevêque de Rouen, et de Rotrou, évêque d'Évreux, confirmant les droits de l'abbaye sur Robehomme contre les Templiers et le comte de Ponthieu.

Tableau de la tradition

Éditions principales

- a. Sauvage René-Norbert, *L'abbaye de Saint-Martin de Troarn au diocèse de Bayeux, des origines au seizième siècle*, Caen, Chalopin (MSAN ; 34), 1911, n° XI, p. 374-375.
- b. Waldman Thomas G., *Hugh 'of Amiens', Archbishop of Rouen (1130-1164)*, PhD Thesis, Oxford, Faculty of Modern History, 1970, 648 p. (dactyl.), Appendix : The Acta of Hugh 'of Amiens', n° 172, p. 543-545.

Texte établi d'après a

Hugo, Dei gratia Rothomagensis archiepiscopus, et Rotrodus, Ebroicensis episcopus, universis sancte matris ecclesie filiis tam presentibus quam futuris. De causa que inter Ricardum, abbatem Troarni, et milites Templi orta est super Rainbertiulmo, post multas vexationes et intervalla temporum, tandem apud Lexovium, evocato ex latere venerabili fratre nostro Philippo, Baiocensi episcopo, multis eciam religiosis et sapientibus viris pariter convocatis, auctoritate apostolica freti, ordine judiciario finem canonicum ipsi negocio imposuimus. Quod ut nulla delere possit oblivio, in scriptum redigere et litteris annotare curavimus, ut sit operis nostri firmum testimonium et predicti monasterii inexpugnabile monumentum, simul etiam ad posteros memoriale sempiternum. Acceptis itaque litteris domini pape et adjuncta officio nostro auctoritate apostolica, post plures evocaciones utriusque partis, post labores multos Troarnensis monasterii, apud Lexovium diem utriusque parti prefiximus. Set, ante diem placiti, milites possessioni de Rainberti ulmo renuntiaverunt et ad diem statutum neque venerunt neque excusaverunt. Comes vero Pontivorum, quem milites guarandum suum in presencia domini pape predixerant, ante iter Jerosolimita num non guarantivit eos, set, contra preceptum domini pape, causa neglecta, iter illud arripuit et post reditum a guarantia penitus defecit. Abbas vero, licet sibi videretur, ut dicebat, quod defectus tam comitis quam militum sui juris esset plena confessio, tamen obtulit sufficienti testimonio probare suam investituram. Nos igitur, super hoc negocio habentes preceptum domini pape tam viva voce quam litteris de plena justicia facienda, et de comite et de militibus causam diu agitatam, tali sententia in medium prolata, decidimus, scilicet, quia milites Templi possessio ni de Rainbertiulmo renuntiaverant, et comes, qui possessionem dederat, a guarantia deficiebat, adjudicavimus abbati Troarnensi investituram de Rainbertiulmo et eum, vice domini pape cujus legatione in hoc negocio fungebamur, in conspectu totius conventus, manu propria investivimus, et tamen, ne occasione aliqua investitura ista videretur initium habuisse ante ipsam investituram, probationem quam abbas obtulerat, per manus tam clericorum quam

laicorum sufficientem suscepimus. Ut autem auctoritate firma nitatur in perpetuum, eam sigilli nostri impressione firmavimus ac venerabilium personarum que presentes affuerant subscriptione voluimus roborare. Presentes autem et testes fuerunt iudicii et investiture primo dominus Baiocensis Philippus, nobiscum cooperatores iudicii, abbas Sancti Wandregisili donnus Walterus, abbas Cadomensis donnus Alanus, abbas de Fonteneio donnus Robertus de Clericicis, decanus Rothomagensis Gaufridus, cantor Baiocensis Herbertus, archidiaconus Baiocensis Rogerus, magister Hunfredus, archidiaconus Lexoviensis Normannus ; canonici Rothomagenses Rainaldus, Ivo, Eraldus ; de clericis Ebroicensibus Willelmus, decanus, Ricardus, archidiaconus, Herbertus et Daniel canonici ; de monachis de Sancto Wandregisilo Lambertus et Willelmus ; de Sancto Stephano de Cadomo, Nigellus, Robertus, Geroldus. Testes autem qui iuraverunt, fuerunt hi : Vincentius, monachus de Troarno, Herfredus, capellanus comitis Ebroicensis, Lambertus Faber, Ansetillus filius Acardi. Actum est hoc apud Lexovium, publice, anno ab Incarnatione Domini M°. C°. XL°. IX°. , Eugenii pape anno vero xvij, kalendas aprilis, principante in Normannia duce Gaufrido.